DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
EXHIBENS
MATRONAM NOBILEM FLUORE ALBO LABORANTEM
quam
SUMMI NUMINIS AUXILIO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. GUILIELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM
ANGAR. ET WESTPHALIÆ &c. &c.
ex decreto illustris Medicæ Facultatis
SUB PRÆSIDIO
JO. HADRIANI SLEVOGTII,
HAEREDITARII IN Ober-Roßla/
M. D. ANATOM. CHIR. ET BOTAN. P.P.
ITEMQUE MED. DUC. PROVINC.
h. t. DECANI MAXIME SPECTABILIS
Patroni, Præceptoris, Promotoris & Hospitis sui honoratissimi
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
MORE MAJORUM LEGITIME IMPETRANDI
PUBLICAE ERUDITORUM CENSURAE
submittit
CAROLUS MAXIMILIANUS Held/
CUNREUTHO-FRANCUS
HORIS LOCOQUE CONSUETIS
ANNO MDCCIII. d. Jun.

JENÆ,
LITERIS GOLLNERIANIS.

HISTORIA.

COncesserat Matrona nobilis, sangvine o-phlegmatica, XXIX. annos nata, ex... re & quietis impatientissima re famili-ari in urbem, ubi per biennium maximam diei partem sedendo transigebat, lacticiniorum, pi-scium, ciborumque salsorum amantissima. Post-quam per sexennium à concipiendi & pariendi negotio feriata, mense Aprili, Majo atque Junio lunare tributum emanere, nec tamen phænome-na, olim sibi, cum quarta vice puellas utero gere-ret, consveta redire, nihilo minus tamen abdo-men turgidulum evadere, crura interdiu dolere, circa noctem autem, cum tumore ma-nifesto, solito graviora, simulq; anhelitum difficiliorem reddi animadverteret; ex urina à Medistro corporis sui constitutionem expiscari decernebat; qui ex hepatis vitio, hydro-pem instare jurans, purgantibus fortioribus die 14 Julii abortum fœtus masculi, XV hebdoma-dum, excitabat, in enormem terrorem miseræ puerperæ; quæ mariti absentis, & jam diu fili-um desiderantis, summam indignationem metu-

 ens

*ens, se totam luctui dabat, ut soror ejus ex cre-
bris itineribus, ad amicos & agnatos instituti
mœrori levamen parare cogeretur. Sub finem
Augusti stillabant genitalia, post menses pauco
materiam albam & pituitosam, idque quantitat
modica, & sine molestia notabili, usq; in Septem-
brem, ubi ea erumpentibus mensibus cedens, h
finitis paulo copiosior ad finem Octobris exce-
nebatur, donec à menstrua purgatione rursus in-
tercepta, hac cessante, reverteretur. Continua-
batur istiusmodi alternatio usque ad Februa-
rium, ex quo tempore non mite amplius & album
sed luteum liquamen, cum morsu & genitaliu
excoriatione effluebat. Urserat insuper hacte-
nus molesta pressio lumbos, pubes obtuse doleba
totum corpus fiebat segne, facies pallida, ocu
tristes, respiratio anhelosa, appetitus vacilla-
bat, post cibum tumebat abdomen, crura plum-
bea videbantur, & foveam impressam diu re-
nebant, urina erat alba. Peteba-
tur mense Martio consilium.*



Q. D. B. V.

§. I.



Affectus Matronæ hujus nobilis est *symptoma excretorum*, quantitate & qualitate peccantium, quod Hippocrates passim ῥόον λευκὸν & ῥοῦν γυναικεῖον, (forsan etiam S. 84. & seqq. de nat. mul. absolute ῥόον & ῥοῦν) Latini, eum imitantes, FLUOREM ALBUM ET MULIERUM, Germani den weisen Fluß / den Weiber-Fluß appellant; quando scilicet *fluidum quoddam, plus minus corruptum, à sanguine & reliquis utilibus humoribus diversum, & vel totius corporis, vel uteri saltem, partisque alicujus culpa, in vasis, poris & glandulis uterinis collectum, absque certa ætatis, temporis, aut modi exeundi ratione, per genitalia excernitur.*

§. II. Multitudo Scriptorum peperit ægritudini huic varia *synonyma* atque *homonyma*, partim ab Hoechstettero in casum 1. decad. 4. p. 296 congesta, partim apud alios visenda. Quæ tamen vel (1) *nimis generalia* existunt: quando v. g. malum hoc à Bottone *Symptoma uteri in exeunte*; aut ab Aetio *diuturna uteri destillatio* salutatur: vel (2) non plus, quam supra memoratæ Græcæ, Latinæ ac Germanicæ voces dicunt: ubi fluor albus Galeno & Schneidero, aliisque *uteri rhevma, catarrhus & coryza*; Eroti vero, Mercato, Heurnio, Fernelio, Paulo, Platero, ipsique rursus Galeno *fluxus matricis & profluvium muliebre* audit: vel denique (3) *minus propria* videntur: dum à

tero, Septalio, à Castro, Sennerto &c. *mensium* ac *purgamentorum uteri alborum*; à Langio & Graafio, aliisque neotericis *gonorrhoeæ* nomina huc trahuntur.

§. III. Retinebimus igitur receptiora *fluoris albi* atque *muliebris* vocabula, donec aptiora, & indolem ægritudinis clarius significantia reperientur. Quamvis enim per illa satis bene indicetur, ejusmodi affectum sequiori tantum sexui competere, & à quocunque fluxu sanguinis differre, sive hic sec. nat. ex utero statis mensibus & post partum, aut ex intestino recto prodeat; sive præt. nat. sub mensium ac lochiorum nimiorum, l. rectius *hæmorrhagiæ uterinæ* titulo erumpat: nondum tamen, qui sola ista nomina, absque descriptione audierit, certus est, an & quomodo fluor albus muliebris à fluxu lactis, seminisque veterum, & aquis chorii, aut isto profluvio aquoso differat, cujus Hippocrates mentionem facit, quando L. 2. de M.M. Sect. 76. §. 1. ῥόȣ ὕδατος, & §. 5. ῥόȣ ὑδατώδεος curationem tradit.

§. IV. Augetque hanc difficultatem diagnosticam *ipse color materiæ muliebris fluxus*, qui non semper *exacte albus*, sed, verbis magni Wedelii, Patroni & Præceptoris mei observandissimi, Pathol. S. 3. cap. 12. *modo pallidus, modo citrinus esse* solet; & secundum Hippocratis l. c. S. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. modo velut *urina asini* aut *ovis*; modo *albus subluteus*, aut tanquam ex *ovo crudo*, *luteus subalbidus*, *subluteus item & viscosus*; modo ut humor à carnibus assatis *saniosus* & *subcruentus* apparet.

§. V. Ne igitur vel levissimum dubium circa τὸ ὅτι hujus affectus relinquatur, afferenda sunt in medium non tantum, quæ *essentialiter* ipsi *inhærent*: sed etiam quæ *postessentialia* vulgo, & *essentialiter consequentia*, rectius, certo respectu, *præcedentia* & *adjuncta*, aut ex eodem saltem fonte scaturientia pathemata dicuntur, morborumque pariter ac symptomatum natu-

naturam induunt: ex quibus invicen collatis, & *causis obviis, tam antecedentibus, quam adhuc præsentibus*, continentiumq; naturam æmulantibus, signum *pathognomonicum* constituitur; ut firmiter concludi queat, nostram, vel aliam ægrotam, præcise *hoc, non vero alio affectu*, e. g. *mensibus albis* seu *decoloribus*, aut *ulcere uteri*, aut *gonorrhœa* laborare.

§. VI. *Essentiale* autem & *proprium* fluori albo esse solet, ut individuum aliquod sequioris sexus, sive infans fuerit, sive adolescens, juvencula, matrona aut vetula, virgo, marita aut vidua, sterilis aut gravida, menstrua fluentia aut suppressa habens, de materia nunc tenui, aquosa, ichorosa, muriatica, nunc crassa & pituitam, albumen ovi, aut pus referente, alba item aut livida, lutea, viridi, inodora, fœtente, miti, acri, & mordaci, ex genitalibus parcius, largius, nunc statis temporibus, nunc sine ordine fluente, mensesque vel antecedente, vel sequente, vel omne temporis momentum interpositum occupante conqueratur. Inter *postessentialia*, quantum nostram quidem matronam attinet, occurrunt morbi conformationis & symptomata actionis læsæ, mutatæque qualitatis; tumor sc. crurum œdematosus, abdominis inflatio, appetitus vacillans, respiratio anhelosa, dolor pubis, pressio lumborum, corporis segnities, crurum gravitas, oculi tristes, facies pallida; quibus urinæ quoque color albus & à naturali recedens, jungi debet.

§. VII. De hisce phænomenis notandum: (1) *Essentialia* ita esse comparata, ut nisi confessio adsit ipsius ægrotæ, nemo ea facile deprehendere valeat: inprimis, ubi vel fœminæ, non admodum cacochymicæ existentes, adhuc leviter afficiuntur, ut vix ægrotare videantur: vel, ex intempestivo pudore, perire malunt, quam propriam turpitudinem patefacere. (2) *Postessentialium* in aliis adhuc *plura* occurrere: dum fœminæ nonnullæ insuper uteri procidentiam, appetitus & virium gravem

pro-

proſtrationem, corporis extremam maciem, aut intumeſcentiam levcophlegmaticam, manuum inprimis & oculorum, turpemque cutis decolorationem, & alias moleſtias, una cum mictione urinæ turbidæ experiuntur: ut in Hippocratis textibus allegatis, Practicorumque ſcriptis legere datur. (3) Hæc tamen omnia ſeorſim, absque eſſentialibus conſiderata, non tam præciſe fluorem album, quam in genere potius cacochymiam & craſin humorum corruptam indicare: quatenus ſæpenumero non paucæ mulieres jam dudum multa ex recitatis malis paſſæ ſunt, antequam genitalia infeſto liqvamine madere animadvertunt; aliæ ab initio ſolo fluore muliebri correptæ, ſucceſſu temporis, tandem cachecticæ evadunt. (4) Ad conſtituendum fluorem album non æque præſentiam tot ærumnarum, eodem tempore, in quolibet ſubjecto, multo minus certum eorum gradum requiri: multitudinem autem eorum, majoremque vel minorem acerbitatem Medicum de ægritudinis *magnitudine*, *cauſis*, *prognoſi* & *therapia*, aliisque, in ſeqventibus explicandis, monere.

§. VIII. Adduximus hæc latius, ut tanto facilius perſpiciatur, quam improprie *menſium alborum* aut *decolorum* appellatio fluori muliebri, ſupra §. 2. impoſita, ipſi competat. Sicut enim menſes in ſtatu naturali opus naturæ, recte & propter generationem agentis, exiſtunt, & ex vaſis ſanguiferis, ſtato tempore, per intervalla, cum euphoria corporisque ſalubritate fluunt, quam primum fœmina conceptioni apta eſt, iterumque tantum non ſemper deſinunt, quando ea vel concepit, vel per ætatem amplius concipere nequit: Ita, quamvis omnino creberrime accidat, ut naturæ intentio non minus ratione temporis exernendi, quam quoad excreti humoris quantitatem & qualitatem turbetur, *pertinent tamen*, verbis Sennerti, Prax. lib.

4. part:

4. part. 2. sect. 2. c. 13. pag. 194. *menſes decolores adhuc ad menſes, & obſervant ſuam periodum*; *quamvis non exacte*; cum contra ea fluor albus ſit res prorſus p. n. continuationi ſpeciei adverſa, orta ex cauſa morbifica, absque ordine fluendi, & diſcrimine ætatis, ſæpe in corporis perniciem emergens. Qvibus accedit, quod in noſtra ægra hactenus lunari tributo juſti ſui limites haud immutati permanſerint, idqve diſtinctos a fluore albo vices obtinuerit.

§. IX. Multo minus *ulceris* alicujus *uterini* ſuspicio ideo in noſtram incidet, quod ea *poſt abortum* fluore albo laborare inceperit; jam vero Hippocrates, lib. 1. de M. M. S. 88. & 89. ejusmodi morbum *μάλιςα*, *potisſimum*, *ex partu & abortu* fœminas corripere ſcribat. Deſunt enim plurima phænomena exulcerationis, l. c. allegata, vix fluxui muliebri, ſibi relicto, tribuenda: excretio ſcil. ſangvinis, puris, & ſeroſæ ſaniei, cum fœtore gravi, uteri inflammatio, dolor ulceroſus in ventre, acutus autem in pudendis & lumbis, inde ad coſtas, claviculas & ſcapulas pertingens, cephalalgia vehemens cum delirio, animi deliqvium, febris cum refrigeratione & fremitu. Imo nec *πυῤῥὸς ῥόος*, *fluxus fulvus materiæ copioſæ*, *& inſtar ovi putridi graveolentis*, ex Hippocratis lib. modo allegati, S. 8. recte à nonnullis inter ſpecies τȣ̃ ῥόȣ λευκȣ̃ refertur; quia hic inflammationem matricis præſupponit, & plerasqve ægras enecat: ſecus ac in noſtro affectu uſu venire ſolet; niſi per incuriam ægrotæ, aut ſiniſtram medicationem genitalia ad exulcerationem deducantur; ad qvam ſatis proclivia ſunt, ut, effato Coi, ſubinde etiam ἀπὸ ταυτομάτȣ, *ſponte*, ulcerentur.

§. X. Reſtaret jam, ut etiam oſtenderemus, qvam inconvenienter *Gonorrhææ* nomen præſenti ægritudini applicetur;

cetur; nisi perspiceremus, longe commodius id ipsum in subjecti evolutione explicatum iri.

§. XI. Diximus, fœminas cujuscunqve ætatis & conditionis fluori albo obnoxias esse. Erunt igitur hæ *Subjectum ut Quod*: nec putamus, Hippocratem, S. 1. lib. 2. de M. M. *fluxum album in senioribus magis, quam junioribus*, fulvum in utrisqve, rubrum in junioribus fieri asserentem, diversum qvid statuere: sed potius, in negotio comparationis constitutum, de eo, qvod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingere consvevit, loqvi. Minime igitur audiendi sunt, qvi cum Montano virgines, nisi defloratæ fuerint, fluore albo non posse affici, Sennerto judice, l. c. *temere & incaute pronunciant, cum causæ, ob quas hic fluxus accidit, in omnibus fœminis locum habere, eæqve tales crudos humores colligere possint.* Qvod si vero vel maxime adultiores nec per Aristotelis, contrarium tenentis, autoritatem, nec per Roderici à Castro testimonium, de integerrimæ famæ virginibus, in Hispania & Germania per triennium, antequam menses erumperent, hoc malum passis, sese contra calumnias corruptionis tueri qveunt, provocandum ipsis est ad excellentiss. Wedelium, Jac. Sylvium, Lud. Bonaciolum, Phil. Hoechstetterum, aliosque, qvi *juniores puellas puellulasve* huic malo subjectas viderunt. Fernelius, Rod. a Castro & Nesterus, Ephem. Germ. Dec. I. ann. viij, obs. 25. producunt *virgunculas octennes*: Pechlinus Eph. G. D. 1. ann. 9. observ. 28. duas *septennes*: Cummeus, Eph. G. D. 1. ann. 3. obs. 114. & Kolichen, Act. Hafn. Vol. 1. obs. 83. *sexennem* Obstetrix Gallica, ap. Hoechstett. *quinquennem*, notavitque D. D. Præses in diariis suis *bimulas trimulasve*, liqvamine cremoriformi aliquamdiu pollutas: qvod ipsum alii in recentioribus à partu observarunt. Inter quos D. Gahrliep, Eph. G. D. III. ann. 7 & 8. obs. 140. puellam, *octavo ætatis die fluorem album, decimo autem cruentum* feliciter sustinentem, descripsit.

§. XII

§. XII. Subjectum *ut Quo* jam antiqvissimis temporibus duplex habitum fuisse, ex Galeni lib. 6. de loc. aff. c. 5. liqvet; ubi *profluvium muliebre* vocatur, quando *utero sano* existente, vel *universum corpus*, vel *aliqua* saltem ejus *pars*, v. g. hepar, cerebrum &c. per *ipsum* expurgatur: secus ac fit, ubi, corpore reliqvo incolumi, *uterus solus* fluore albo corripitur, qvem, ad differentiam prioris, Heurnius *profluvium uterinum* appellat, estqve Sennertus, l. c. p. 197. totus in eo, ut ostendat, qvomodo intelligatur, an *præsente totius corporis cacochymia, uterus adhuc sanus sit*, an vero à *parte aliqua* vitiosos humores accipiat, aut, *toto corpore* ejusqve *partibus salvis, ex isto solo* fluxus fiat.

§. XIII. Absolveretur eqvidem ex hac hypothesi uterus, certis in casibus, ab omni reatu, nec adeo injuste jam ante Sennertum Altimarus, teste Rolfincio, Med. consult. p. 911. negavisset, in *profluvio muliebri uterum affectam partem vocari posse*: nisi hoc pacto *subjectum morbi cum subjecto causæ*, tam proximiori, massa scil. sanguinea, quam remotiori, visceribus puta primæ atque secundæ coctionis, manifeste confunderetur. Quapropter satius videtur, uterum, pro re nata, modo *subjectum primarium* vocare; qvando *essentialiter* laborans *locum & focum* malo præbet: modo *secundarium* magis, respectu *foci*, ac *recipiens*; quando sc. vel *totum corpus*, vel *aliqua insignior ejus pars mandantis* munere fungitur. Quis enim mortalium uteri *substantiam, vasa, situm, connexionem & functionem* rite expendens, credat, viscus ejusmodi, quod cum visceribus primariis per nervos, vasa, membranas communionem habet, ab insigni aliqva calamitate corporis eximi & integrum manere, aut absque notabili *toni sui* atqve *mechanismi* alteratione, *totius* vel *partis alicujus* excrementa per suam substantiam transmittere posse, quin, si omnino ab initio

 per

per συμπάθειαν saltem afficeretur, postmodum tamen per δευτεροπάθειαν quoque ægrotare cogatur.

§. XIV. Haud patitur institutum nostrum prolixam uteri historiam, satisqve erit in præsentia subjectum morbi explicanti, monuisse, matricis substantiam membraneo-musculosam, nervis, tam pro sensu, quam vigore tonico, plurimis, vasisqve sangviferis, in statu sec. nat. materiam alimenti ac mensium, in præt. nat. vero causam qvoqve morbi materialem dispensantibus, instructissimam esse: potissimum autem innumeris glandulis *conglobatis* pariter, ac *conglomeratis* turgere: ut per *istas* lympha, in negotio nutritionis substantiæ uterinæ, ab alimento proximo secedens, in vasa sui nominis, ad cor tendentia, colligatur: per *has* autem ex MSea liquor, non usu quidem, substantia tamen salivæ fere similis, segregetur, parietibus internis, per ductus, poros, lacunasqve humectandis lubricandisqve, inserviens.

§. XV. Cum autem densiori agmine spectabiliores hujusmodi glandulæ regionem vaginæ anteriorem & urethram stipent, imposuit huic Graafius, tr. de mul. organ. c. 6. p. 438. Biblioth. Anat. *Prostatarum muliebrium* nomen, ab Herophilo, ex male intellecto Galeni capite 11. libr. 14. de V. P. mutuatum, succumqve, inde scaturientem, *liquorem seminalem* salutando, *Gonorrheæ muliebris fontem* ideo ibi constituit, qvod, cum in viris prostatarum fluxus gonorrhœa vocetur, etiam in fœminis is eodem nomine nuncupandus sit, qvatenus in utroqve sexu partium & ductuum eadem fere substantia observetur, nec aliunde ejusmodi profluvium æque derivari possit.

§. XVI. Enimvero cum veteres, ex ignorantia usus ovarii, semen liqvidum mulieribus tribuerint, Graafius autem l. c. his nec *fluidum semen*, quale viris contigit, nec c. 13. p. 458.

aliud

aliud præter ovum, concedat; minus accurate ſuccum glandularum uterinarum, quem l. c. ad *generationem.* nec formaliter, nec materialiter concurrere judicat, *liquorem ſeminalem*, ejusque fluxum præt. nat. *gonorrhæam* appellat: quia iſtiusmodi termini *improprii* ſunt, & nulla neceſſitas eos exigit, confuſionesque inter authores excitant. Quippe legimus alios, cum celeberr. Etmullero, ſub *gonorrhœæ muliebris* titulo, *ſimul profluvium uterinum* & *muliebre* comprehendentes, illud gonorrhæam *veram* atque *mitiorem* vocare, & ex proſtatis Graafianis, leviter ſaltem affectis, deducere: hoc vero *notham*, magisque noxiam appellare, quod ex vitio *chylificationis* & *MSeæ cachecticæ* accerſunt. Alios vero, inter qvos Waldſchmidium, in comm. in caſ. 15. Timæi p. 545. offendimus, per *ſolum profluvium uterinum gonorrhœam* intelligere, illudque non ex uterinis glandulis, ſed neſcio quibus veſiculis ſeminalibus, nullibi in muliere viſendis, derivatum, in *benignum & malignum* dividere, *muliebre profluvium* autem ſeorſim ab iſto, more veterum, tractare.

§. XVII. Cognito jam ſubjecto primario fluoris albi, & materia ejus maxima ex parte nominata, non erit amplius arduum, immediatam cauſam vitioſæ ejusmodi excretionis, eamque duplicem reperire. Prior eſt activa, *Natura* ſc. ſeu quod in noſtro negotio idem eſt, *anima*, per determinatam aliquam machinam determinate agens, quæ ſibi relicta, ex innata quadam intelligentia ne dicam, [cum talem brutis Philoſophi denegent] an perpetuo quodam, à Divino Numine ipſi neſcienti impreſſo conatu, ea, quæ corpori ſalubria & neceſſaria ſunt, conſervare, inutilia autem, quousque poteſt, removere ſtudet, & à copia acrimoniaqve materiæ peccantis ſtimulata, ad varios impetus impellitur; unde anti-

 quo-

quorum facultatis expultricis irritatæ, & neotericorum *Archæi lacessiti* nomina orta sunt. Altera *passiva* fundatur nunc in *facultate retentrice* atque *tono depravate auctis*, nunc in iisdem *debilitatis*, aut penitus *abolitis*; vel, clarius loquendo, *in structuræ mechanicæ conformatione læsa*: qvando fibræ glandularum, musculorum ac membranarum *spasmodice stringuntur* vel *laxantur*, aut earum *unitas* prorsus *solvitur*, ut fluida contenta vel *subsistant*, exitum non invenientia, tumoresque & dolores tensivos excitent; vel per *poros nimis patulos, meatusque præt. nat. factos*, inconcinne effluant.

§. XIIX. Singula hæc occurrunt in nostra ægra, in cujus utero corporeque reliquo, ex caussis, mox enumerandis, *materia* quædam peccans, cui merito nomen *caussæ mediatæ proximioris fluoris albi* tribuimus, ab initio *cruda* tantum & *viscida* generata est, quæ lentore suo promtam humorum circumductionem, ventilationem & secretionem impediens, coctiones turbavit, & stagnationes, hinc etiam per particulas suas indigestas, ab erroribus diætæ quotidie auctas, fermentationes vitiosas, novasque acrimonias salinas & sulphureas produxit, quarum inæqualis superficies & motus irregularis, elasticusque facultatem expultricem, supra descriptam, concitavit, ut per uterum, ab abortu insigniter debilitatum, non solum succus, glandularum ejus, sed simul etiam totius corporis impuritates hactenus expulsæ sint.

§. XIX. Dum autem de *fontibus, ex quibus, & de viis, per qvas* fluor albus ad genitalia venit, solliciti sumus, aliud quasi agentes, simul ipsius ortum & *materiam ex qua* denuo considerandi occasionem nanciscimur. Brevissimarum & maxime præsentium viarum tres species describit Graafius; quarum prior est ex prostatis, ad orificium colli & meatus urinarii, duas reliquas constituit nervoso-membranosa colli

ipsi-

ipſiusque uteri ſubſtantia, ex cujus glandulis conglomeratis liquamen excrementitium in ſtatu naturali *ſufficienter*, in morboſo autem *abundanter* ſcaturire poteſt. Adducunt inſuper autores *humorem* nominatarum partium *nutritium, in glandulis vaginalibus corruptum;* nec non *lympham*, in vaſis ſuis per ambitum matricis, elegante ſpectaculo, a Rudbekio, Bartholino, aliisque, omnium niditiſſime autem a Nuckio exhibito, diſcurrentem, & ex *ruptis corroſisque canaliculis* intra vaginæ cavum deſtillantem. Quorſum etiam ſpectat *materia* iſta *alba* & *craſſa*, quam, teſte Graaſio, l. c. p. 456. Hippocratem contra Ariſtotelem defendentes, in fœminarum, diu a coitu abſtinentium, vaſis ſeminariis, tubis & uteri cornibus invenerunt, & Ariſtotelicis, ſemen mulieribus denegantibus, objicere ſolent.

§. XX. Remotior harum humiditatum fons eſt maſſa ſanguinea, & quidem potiſſimum quoad *partem ſuam ſeroſam*; quamdiu ſcilicet materia effluens pura eſt & alba, aut flaveſcit ſaltem. Partem rubram quod attinet, videtur eam omnino huc qvoqve trahi a Franc. de le Boe Sylvio, ut ex Prax. l. 3. c. 4. §. 32. conſtat, ubi ita loquitur: Qvemadmodum ſanguis mutatur ſecundum naturam in fœminarum, utero gerentium, mammis, & quidem poſtremis geſtationis menſibus, in lac, idemque ſanguis, extra vaſa ſua effuſus collectusque, quin idem ad partes ulceratas delatus, præt. nat. corrumpitur in pus; ita idem mutari poteſt, cum revera mutetur, in uteri vaſis cavernoſis, & quidem itidem præter naturam, in humorem album quidem, multum tamen, tum a pure, tum præſertim a lacte differentem, adeoque ſingularem, *fluoris albi* nomine notum, quoniam fœminis ſolet idem ſponte effluere. Principium porro immutans non *alcali*, ſed *acidum*, ſecundum §. 31. eſſe, ex eo probatur, qvod §. 36, *acrimonia* ſalis

lixivi

lixivi cum *nigredine* morticina corrumpat partes, a se affectas, *acida* autem partes, in quas vim suam exerit noxiam, mutet in *substantiam albam*. Enimvero sicut ex colore nigro, quem v. g. lapis corrosivus, aut albo, quem antimonii butyrum in escharis relinqvit, vix de colore fluoris albi firmiter concludi potest: ita nondum eo adducimur, ut sanguinis rubram molem ad hunc promiscue requiri credamus: cum probabilius sit, eam sub mensium schemate magis prodire, & tantum ad colorem fluoris fulvum & viridem, purisque constitutionem in casibus gravioribus & ulcerosis concurrere.

§. XXI. Venit autem *serum sanguinis* modo *purum*, & satis adhuc laudabile ad uterum, ibique à *maligno fermento*, undecunque contracto, deturpatur: aut à reliquorum viscerum, *pancreatis* inprimis, sec. Sylvium, l. c. §. 44. *uterum frequenter afficientis*, labe maculatum, uterum adhuc benevalentem inficit, jamdudum ægrotantem autem deteriorem reddit. In qvo negotio plurimum *primarum viarum* prava constitutio valet: cum in eas apertius fere, quam in alia viscera sinister usus *rerum non naturalium* suas noxas evibret. De quibus mox dicturi sumus, quamprimum, in transitu quasi, *res naturales*, prout *causarum mediatarum remotiorum* classem subeunt, perlustraverimus.

§. XXII. Temperamentum matronæ nostræ obtigit sanguineo phlegmaticum, quod, sibi relictum, non contemnendum, sed mulieribus ad actiones, ipsis familiares, satis aptum est, moresque, sequiorem sexum maribus commendantes gignit, & proinde merito sanguineo cholerico, multoque magis pure cholerico ac melancholico præfertur: quia neutrum horum unquam immunes servavit fœminas à fluore albo, aut eodem correptas, intra mediocritatis terminos manere sivit, sed potius acerbioribus insultibus eas affligere consuevit. Versatur insuper nostra in ista

æta-

ætatum periodo, quæ alias florida audit, & reliquis fere vegetior, firmiorisque ſanitatis capax exiſtit. Ut adeo harum naturalium rerum reſpectu ipſa nihil metuendum habuiſſet, niſi à *rebus*, *non naturalibus* ac *præternaturalibus* vim paſſa fuiſſet. Harum enim pleræque, prout in hiſtoria recenſitæ leguntur, ita comparatæ ſunt, ut in ejusmodi craſi MSneæ, ubi particulæ activæ ⊖no ♆eæ non plane ſui juris ſunt, ſed ſub dominio ſeroſarum quodammodo detinentur, & circulatio non admodum citata, calorque vitalis nimis blandus eſt, facile coctiones in viſceribus turbent ac remorentur, unde *humores crudi* cumulantur; qui in *vappam* partim degenerant, partim *acidum* & *acre* quid concipiunt, & hinc tumores, ſtagnationes & decubitus ad partes debiles, fermentationes, item & irritationes, dolores, & corruptiones partium ſolidarum efficiunt.

§. XXIII. Ampliſſimam eqvidem *occaſionem* malis hisce *ingens & ſubitanea diætæ mutatio* ſuppeditavit; dum noſtra loco aëris liberrimi ruris patrii, urbanum, mille hominum & brutorum vaporibus, rerumque aliarum ingratis effluviis refertum, per integrum biennium haurire coacta, genus inſuper vitæ, à teneris ambulatorium, cum tædioſo, morborumque feraciſſimo ſedentario commutavit, crebriusque ſimul lacticiniis, piſcibus ac cibis ſalſis uſa fuit, unde chylum crudum, ſanguinem viſcidum acrem, & ad πνευμάτωσιν ineptum, totumque corpus langvidum, & injuriis morboſis reſiſtendi ineptum reportavit. Multum tamen obſtat, quo minus hisce *diætæ transgreſſionibus ſolis omnem culpam* injungamus: cum perſuaſisſimi potius ſimus, noſtram alias *haud illaudabili temperamento* in *puncto ætatis optimo* præditam, aut prorſus calamitates haſce, ipſam jam graviter prementes, *evitare* potuiſſe, aut eas *mitiores ſaltem experturam fuiſſe*; modo

non per nefandæ pravitatis catharcticum *abortus* concitatus, per hunc autem *uteri tonus* enormiter læsus esset.

§. XXIV. Cum enim non una *fluoris albi* causa sit, & quæcunqve corporis, vel leviter cacochymi humores vehementer exagitant, acrimonia fermentativa armant, & sic eos ad exercendas irritationes aptos reddunt, ῥόον λευκὸν excitare valeant; omnino etiam *purgantia fortiora*, imprimis ex *belleboro albo*, *granis cnidiis & tilli*, aut *elaterio*, similibusque *drasticis*, agyrtis atqve medicastris familiaribus, parata, censum huncce subeunt. Præcipitaverunt enim talia in nostra ægra non solum humores corruptos, sed etiam qvos ex bonis atqve utilibus, per facultatem suam fermentandi, inutiles reddiderunt, ad intestina; & quia rectum uterino collo immediate alligatum est, in hoc etiam spicula sua acria, elastica evibrarunt, ejusqve & uteri ipsius fibras muscolosas, vasa & glandulas irritando, humoresque concitando, per dolores, spasmodicasque contracturas, fœtum masculum intempestivè expulserunt, eoque ipso uteri tonum vehementer debilitarunt, & simul naturæ viam monstrarunt, per quam se ab excrementitiis humoribus imposterum liberare posset. *Cum enim*, inquit Rolfincius, l. c. p. 613. *uterus, vi legis, in republica microcosmica sancita, ordinatus sit ad omnem superfluum sanguinem in hoc sexu recipiendum, & extra corpus amandandum, omnino etiam hoc, qvod vitiosum erat naturæ, quasi aliud agens, recipit ac transmittit. Hanc actionem juvat situs hujus partis ad recipiendum conveniens, debilitasve ex continuo humorum vitiosorum affluxu orta.*

§. XXV. Hisce omnibus memorabile pondus ex *pathematibus animi & corporis* accessit. *Sunt enim*, secundum Sylvium, l. c. §. 38. & 39. *terror inopinatus & grandis, animique mæror gravis & diu protractus, acidi & austeri productores assidui*

ſidui & certisſimi, *fluorisque albi potiſſima ac frequentisſima cauſa*, & dum vigorem caloris vitalis *ille disſipat*, *hic* vero *ſupprimit*, ambo functiones principes peſſundant. Quibus equidem ægrotæ ſoror per *crebra itinera* & converſationem cum agnatis mederi ſtuduit: ſed irrito ſucceſſu, & effectu magis noxio, quam ſalutari. Qvamvis enim omnino ſuavia colloquia proſtratum animum erigere, ſpiritusque ſpe fatorum lætiorum ſerenare quiverint, motus tamen in rhedis ſuccusſorius corporis, per diuturnam quietem, & cibos haud omnino bonos cacochymi redditi, non potuit non humores pravos ad uterum, ex abortu *viribus tonicis* ſpoliatum, & hinc ad recipiendos quoscunqve advenas diſpoſitum, derivare.

§. XXVI. Fuit autem *quantitas* materiæ excretæ *ab initio modica*, ipſorumqve menſium etiam tunc *ſolito paucior*; quia poſt abortum uterus cum lochiis multum ſanguinis & materiæ peccantis egeſſerat. Poſtmodum autem, ratione menſtruæ purgationis qvidem, natura in conſuetum ordinem rediit, ſed fluor albus procedente tempore *largior*, & tandem quoque flavus, acris & corroſivus redditus eſt. Cum enim nullis medicamentis naturæ ſuppetiæ latæ, & contra ea improbæ diætæ lapſus continuati ſunt; neceſſario indies poſt coctionis primæ læſionem, ſecunda etiam & tertia magis magisque vitiata, et hinc maſſa ſangvinea cruditatibus viſcidis phlegmaticis, ſalinisque auſteris, acidis onuſta, ſpiritibusqve depauperata fuit: unde totius corporis habitum ad *cachexiam* propius accesſiſſe, præter ſupra recitata conformationis vitia, reliqua facultatis vitalis, animalis & naturalis, nec non mutatæ qualitatis ſymptomata clare teſtantur.

§. XXVII. Tota enim *machina eſt ſegnis*: ob *defe-*

ctum elateris, musculos, membranas & reliqua motus organa actuantis, quem subtilissima nervorum lympha, cum sanguinis particulis salinis volatilibus ac sulphureis, id est, *spiritus animales & vitales* alias constituunt. *Crura plumbea* videntur & *tument œdematose*: *istud* fit ob rationem allatam; hoc autem, quia tardius inde resurgens lympha, in poris musculorum & cutis subsistit, à quibus *tonice sursum reprimi* debebat. *Lumbi moleste premuntur*, *pubesque obtuse dolet*: quatenus serum in ligamentis uteri & prostatis, reliquis quæ istarum regionum glandulis collectum, mole sua *tensiones* excitat, donec per moram fermentescens, & ab evolutis magis salibus & sulphure *acrius tinctiusque* redditum, cum morsu ex arrosis genitalibus expellitur. *Faciei pallor, oculorumque tristis obscuritas* præsupponunt *causam privativam*: ille qvidem absentiam sanguinis tenuis, qui capillaria cutis vascula subintrare debebat: hæc vero inopiam spirituum, alias per turgescentiam humorum, tunicarumque explanationem, splendorem oculis conciliantium. *Respiratio est anhelosa*: quia massa sanguinis *crassior* per pulmones ægrius procedit; aut simul bronchia nonnulla à lympha viscida oppilantur.

§. XXVIII. *Appetitus vacillat*: est enim ventriculus ita comparatus, ut non tantum ciborum desiderium amittat, quando substantia ejus vitio quodam organico aut intemperie laborat, aut fermentalis lympha à nimio humido *diluitur*, à viscido vero pingvi ac terreo *obtunditur*, vel deniqve à sale contrario *destruitur*: Sed cum reliqvis etiam partibus corporis tam manifestam συμπάθειαν exercet, ut, illis dolentibus, ipsi quoque male sit; acciditqve quotidie, ut subito appetitus pereat, quando ab ira vel gaudio spiritus dissipantur, sive aliorsum vocantur; à terrore autem & luctu figuntur & sup-

& ſuppimuntur. Pauciora quoque ſubinde expetuntur alimenta quando circulus humorum tardius procedit, calorque minus hinc vorax eſt, nec ἄδηλος διαπνοὴ multum diſſipat. Id quod in noſtra imprimis locum invenire videtur. *Abdomen tumet poſt paſtum:* à flatibus ſcil. inteſtinorum, ex mala chylificatione orientibus. *Urina alba* notat coctionem debilem, inſufficientemque ſecretionem utilium particularum ab inutilibus.

§. XXIX. Ex hactenus allatis jam facile eſt definire, quonam in loco negotium valetudinis Matronæ noſtræ verſetur, & quale *prognoſticum* ratione *eventus*, *durationis*, atque *modi eventus*, formandum ſit. Cum enim totus ambitus hujus ægritudinis in *tres gradus* diſtingvatur, unusqvisque horum *ex certis phænomenis cognoſcitur* non ſolum, ſed etiam *prædictiones* ſuas habet. Primus eſt *leviſſimuus*, ubi genitalia potiſſimum à *cauſa externa*, v. g. frigore, balneo, partu; nec non à medicamentis, intempeſtive uſurpatis, aut animi affectibus, &c. *intemperiem* aliquam & *debilitatem* contrahunt, advenientemque liquorem glandularum in materiam fluoris albi convertunt. *Ferunt hoc malum*, inquit Sennertus, l. c. p. 197, *ſi moderatum eſt, nullaque graviora accidentia adjuncta habet, fœminæ ſæpe diu ſatis, ſine inſigni incommodo.* Secundum Hoechſtetterum, l. c. p. 198. *neſcit moderatus fluor mala accidentia, ſed in ſanis fœminis ac virginibus multis annis innoxie fluit.* Ubi per *ſanas* intelligimus, in quibus vel *uterus ſolus*, absqve fermenti venerei, ſimilisque maligni culpa, locum & focum præbet: vel impuritates quædam ex corpore, nondum cacochymico, à ſolo *robore naturæ, qvaſi per criſin*; aut, quod Platerus obſervavit, *a cathartico* ad partem hanc, excretionibus alias deſtinatam, derivantur, quæ, præter moleſtam humectationem, nullam fere afflictionem afferunt,

medicamentisque & bonæ diætæ, *ſpatio unius menſis*, imo *citius* cedunt.

§. XXX. Qvodſi enim fluor albus cacochymiæ totius, aut viſcerum qvorundam corruptorum ſoboles eſt, ut cum dolore, & ſymptomatibus, in noſtro caſu obviis, ſimilibusqve contingat, tunc is *in gradu medio* conſiſtit, duratqve ſæpe diu per multos menſes; & niſi optima diætæ ratio, juſtusqve remediorum uſus interceſſerit, præcipitat ægras in gradum tertium, ubi corpus cachecticum & uterus ulceroſus ſe mutuo corrumpunt: donec vel lenta tabes, vel hydrops, cum animi defectionibus ac convulſionibus fœtentiſſimo ſqualori & vitæ miſerrimæ finem imponunt.

§. XXXI. Noſtram autem bene ſperare jubemus, cum nec *ætate* ſit *profecta*, quæ, ob caloris nativi debilitatem, vix ad ſanitatem redire ſinit; nec à cauſis internis magis, quam externis laborare inceperit; nec etiam ſymptomatibus admodum atrocibus ſubjiciatur. *Tarde* autem niſi ad antiqvum vitæ genus reverſa fuerit, priſtinum vigorem recuperabit; qui tamen inſigniter promovebitur, quamprimum *maſſa ſanguinea à cruditatibus repurgata, uterusque una cum primis; viis roboratus*, & ad conceptionem aptus redditus fnerit.

§. XXXII. Ut vero curatio recte atqve feliciter procedat, ante omnia *diætæ* juſtum regimen conſtituere decet. Vitabit igitur ægra ſedulo *frigus*, nec eidem temere *pedes* & *partes inferiores* corporis exponet: cujus noxas in præſentia verbis Sylvianis, ex §. 42. l. c. deſcribemus. *Notandum, ad fluoris albi productionem affici aliquando etiam uterum immediate à frigore externo, tum in puberibus fluxum muliebrem ſiſtente, aut ſaltem minuente: tum nondum puberibus, nec proinde fluxum dictum adbuc paſſis, uterum ipſum ita vitiante, ut facilius copioſiusque, quam decebat, ſecedat ſiſtaturque*

in

in ipso pars sanguinis (serosa) *acidior, qvæ ibidem fermenti pravi naturam induens, sanguinem* (chylosum,) *ad uteri nutritionem continuo allabentem, paulatim postea corrumpat,* & (cum succo glandularum uterinarum) *in humorem, pituitæ similem mutet, qui nutriendo utero inutilis effluat plerumque, notatumque fluorem album producat.* Veritatem hujus asserti calculo suo approbat celeberrimus Valentini, quando in epistola elegantiss. Dec. 2. Ann. 2. Eph. G. annexa, p. 469. *tenerioris texturæ Veneres subligaculis & femoralibus subtus se munire jubet.* Nocet etiam *calor intensior*, humores aut impetuose fundens, aut per sudorem nimium inspissans: unde à plerisque Practicis *usus thermarum* levcorrhöusis interdicitur: ex quibus tamen Hoechstetterus l. c. p. 341. & Riedlinus p. 164. linearum, ann. 1695, *Grumbadenses* excipiunt, quod hæ propter *virtutem uterum expurgandi, aperiendi & roborandi, fluori albo dedicatæ credantur.*

§. XXXIII. Ex *cibis* jam in casu nominati sunt, qvinam nocuerint, qvibus omnes dyschymi & dyspepti, nimisqve acres & austeri, aut cito fermentescentes ad latus ponendi, iisqve contrarii eligendi sunt. Præ reliquis autem audiunt *acida* male apud Sylvium, §. 41. l. c. ut ab eorum usu frequentiori in Belgio fluoris albi freqventiam deducat. Id quod tamen cum grano salis accipiendum est; cum aliqvas, à malo hocce diu confligentes, non sine successu ad acidulas ablegatas fuisse, literis consignatum legamus. De *somno* & *vigiliis* nihil addimus, cum non minus ista, ac motum & quietem ita modificari deceat, ne humores vel in vappam abeant, vel intempestive turbentur, spiritus autem frustra discutiantur aut subtilitatem suam ac elaterem amittentes, esse desinant, qvod fuerunt. Cum menses typum suum hactenus retinuerint, nihil circa ipsos movendum est, sed sedulo dispiciendum, an

primæ

primæ & secundæ coctionis egesta ingestis respondeant. Ex animi affectibus nostram *duplex* mœror torqvet. Quippe luget filium, imprudenter perditum, metusque sterilitatis ipsi ex fluore albo à non nemine incussus est. Enimvero modo ex morali philosophia orbitatis dolor per immutabilitatem fati, aut alia argumenta, lenitus fuerit, nos facili negotio spe fœcunditatis animum ejus erigemus, denuo Sylvium l. c. §. 11. in testimonium adducturi, negantem, alium, præter acerbiorem hujus mali gradum, concipiendi facultati obesse. Deinde ostendemus exempla, mitiori gradu affectarum, qvarum aliis fœcundus coitus sanitatem reddidit; alias vero fluor albus, qvamdiu uterum gesserunt, sine noxa comitatus est; qvod ipsum gemellas gerentibus familiare esse, ex Etmüllero discimus.

§. XXXIV. Cum per decentem rerum sex non naturalium ordinationem *indicationi præservatoriæ* maxima ex parte satis factum sit, restat, ut secundum leges *Curatoriæ* corpus à pravis humoribus purgetur, acrimonia irritans temperetur, partesque mandantes pariter ac recipientes roborentur, ne porro gignant materiam peccantem, aut genitam promiscue recipiant, inqve pejus mutent.

§. XXXV. Ex Chirurgia, si *frictiones* dorsi, lumborum, ingvinumque, imo & crurum cum pannis calidis, tacamahaca, gummi elemi, succino & mastiche infumatis, exceperis, parum auxilii nostræ promittere possumus. Habebunt contra ea nonnunqvam in aliis venesectio & cucurbitulæ, aut fonticuli suos usus: prout istæ vel subitaneis ejusmodi tardisqve imminutionibus ac derivationibus humorum adsuetæ sunt; vel rei necessitas & urgens plethora, scorbutus, obstructio mensium, dolor, anxietas etc. eos exigit. Venæsectioni adversos vide Sennertum, l. c. p. 201. Rolfincium,

cium, Ettmullerum aliosque: faventes autem, certis tamen ſub limitationibus, præter multos veteres, Excell. Wedelium, Sylvium, Sydenhamium, Waldſchmidium.

§. XXXVI. Ex pharmacevtico fonte larga meſſis remediorum ſeſe offert, ex quibus, omnium fere conſenſu, *evacuantia* primum locum obtinent, ut in provervium abierit: *qui bene purgat, bene curat.* Comprehendimus autem ſub his, non tantum, quæ per vomitum ac alvum operantur, ſed etiam *ſudorifera, diuretica, ſalivam moventia*: quibus junguntur ac interponuntur *abſorbentia, temperantia, aperientia, balſamica*, ut & externa, *cataplasmata, fotus, collutiones, ſuffitus, peſſi*, apud Hippocrat. l. 2. de M. M. S. 71. & ſeqq. deſcripta. Circa adſtringentia, quibus ignarum vulgus, nimium quantum, ſecundum principia Methodicorum per contraria procedendo, favet, ſalubriter monet Rolfincius, l. c. p. 910. *ab iis non eſſe inchoandam curationem.* Reddit enim ſiniſter eventus ea ſuſpecta; cum uxor Boëthi, apud Galenum, tumorem ventris, inſtar gravidæ, ab adſtringentibus reportaverit. Matrona honeſta, à Rolfincio deſcripta, à ſucco prunorum Sylveſtrium, & balneo, ex decocto alchimillæ parato, ſyncope hyſterica; & rurſus alia, à Winclero, Eph. G. D. I. An. 6. p. 141. notata, ex balneo aluminis & vitrioli phthiſi lethali correpta fuerit. Quod ipſum probe notandum in lectione Hippocratis, qui paſſim talia æque ac purgantia, absque cautelis & juſtæ occaſionis definitione, habet.

§. XXXVII. Non incongruum, ſed conſuetudini receptæ conforme potius eſſet, prolixam Medicamentorum ſeriem cum formulis & regimine inſtruere. Enimvero gratius, ut ſpero, officium præſtabo Praxeos Medicæ Candidatis, ſi ex quorundam fama celebrium Virorum monumentis methodum, quâ iſti in fluoris albi curatione, cum ſucceſſu, per experientiam confirmato, uſi ſunt, propoſuero, eiqve totum

curationis Matronæ noſtræ proceſſum, ex Diario DD. Præſidis excerptum, ſubjunxero: ut uno intuitu, quid factu opus ſit, perſpiciant, nec diu circa materiæ medicæ ſelectum, omnibus fere Neo-Practicis arduum & obſcurum, dubii fluctuare cogantur.

§. XXXIIX. Neutiquam tamen uni vel alteri alteranti medicamento ſoli fidendum eſt. Quandoquidem, ſi e. gr. Lanzonus, Eph. G. D. iij. Ann. 1. p. 58. viduam nobilem per frequentem uſum *ſirubi coralliorum Querc.* à diuturno fluxu liberatam; aliam vero uſu *tincturæ corallior. & pulvere terræ ſigill.* ſanatam vidit: in priori certe non *ſoli ſirubo* effectus omnis tribuendus, ſed reliquis etiam *multis, fruſtra*, ut dicitur, *remediis tentatis*, aliquid tribui debet. In altera vero plus *fortunam, quam artem valuiſſe* videtur.

§. XXXIX. Tutius igitur erit, methodum Poterii, cent. 2. c. 7. p. 144. à celeberrimo Frid. Hoffmanno approbatam, & doctiſſimis notis illuſtratam ſeqvi: quando fluoris albi inveterati gradum, extremo proximum, ſequente ratione feliciſſime aggreſſus eſt. Ab initio dedit infuſum ex agarici ℥j ℈j, c. ▽ artemiſ. ſ. q. paratum, & ʒv Elect. diaphœnic. roboratum. Poſt hoc bibit ægra bis in die ℥vj decocti artemiſ. matricar. meliſſ. abſinth. pont. calendul. beton. & pimpinellæ; quo conſumto, denuo purgata fuit infuſo, ex ℈iiß rad. bryon. cum decocto, modo memorato, & elect. de ſucc. roſar. ſolutivo & diaphœnic. ã ʒijß concinnato. Tandem uſa eſt quotidie tribus pilulis, ℈ij pendentibus, ex gum. ammon. opopanac. myrrh. maſtich. ã ʒj, agaric. trochiſc. ℈iv, ſcammon. ſpagyr. ppt. ℈ij, croc ♂ reverb. ʒij, hæmat. ʒß, macis, eſſ. ſuccin. ã ℈ß, invicem miſtis, & cum ſir. de artemiſ. l. a. formatis.

§. XL. Alterum exemplum curationis invenitur apud Timæum à Güldenklee, libr. 4. c. 15. ubi mitior fluoris gradus

dus nequaquam ex voto illustrissimam Personam deseruit, quamvis, præter commodam diætam, *præparantia*, *catharctica*, *sudorifera*, *roborantia*, *balsamica*, *uterina* data essent: donec pulvis Autoris *specificus*, ex magist. osteocoll. ʒij, carneol. ppt. ʒiß, corall. rubr. ppt. margarit. ppt, terr. sigill. Strigens, mastich. gum. arab. tormentill. ā ℈j, taleol. porc. ppt ʒij, constructus, cum vino rubro, per aquam filipend. diluto, propinaretur. Citius autem sine dubio hodie negotium sanationis ad finem perduceret, qui medicamentis, ab Excell. Wedelio in not. ad casum Timæanum, cum auditoribus gratiosissime communicatis, istud aggrederetur. Nimirum pro scopo evacuandi: ℞ Extr. agar. rhabarb. gialap. ā ℈ß, mag. g. g. croc ♂ saccharini, ā g. iij, olei anis. g. j. Inter alterantia stant ibi sequentia: ℞ Elix. uterini, ʒij, ess. travmat. ʒj, anod. ℈ß. M. D. mane & vesperi. ℞ Succin. alb. ppt. ʒj, ebor s. 🜂, matr. perlar. ā ʒß, mag. lap. ♋, castor. ā ℈j, ℅ succ. alb. rectif. gt. ij. M. F. P. pro 6 dos. ℞ Puv. absorb. Wed. (pag. 114. Opiol. descripti) antim. ♂ cachect. ā ʒß, lap. hæmat. ppt. corall. ppt ā ℈j, laud. op. grj. M. F. P. pro 6 dos. ℞ Rad. rub. tinct. cichor. sarsaparill. ā ʒiij, fol. meliss. rosmar, agrimon. chamædr. puleg. flor. galeops. ā mß. cheiri, ros. rub. ā pij, rasur. lign. sassafr. santal. flav. ā ʒj, cort. lign. sancti, ʒij, croc. ℈j, vel ʒß, incis. contus. gr. m. inf. c. vino.

§. XLI. Præter hæc securissima pharmaca, laudat celeberr. Ettmullerus, part. 3. Prax. cap. 5. salia volat. oleosa, terebinthinam, bals. sulph. antim. diaph. os sepiæ, mandib. luc. pisc. putam. ovor. &c. Nec non externe insessus, formenta & injectiones; repudiatque contra ea *purgantia* per *inferiora*, una cum *venæsectione*, ab aliis concessa; conceditqve rursus ab aliis prohibita, *acida* scilicet, *usum veneris*, ac *balnea adstringentia*, sed blanda. Celeberrimus Waldschmidius, in Prax, med. rational. p. 104. præscribit pilulas ☿les, ♂lia, ♄nina; & in notis ad casum 15, libr. 4, Timæanum, p. 547, pilulas, quibus Comitissam à se restitutam esse affirmat. ℞ fecul. bryon. castor. asæ foet. ā ʒß; sal. succin. corall. Jovis, ā gr. xv, c. gum. galban, soluto in 🜄

vit.

vit. mulier. F. Pilulæ min. quæ deaurentur, vel fol. ☽ obducantur, ad vitandum fœtorem. Dentur singulis horis vespertinis ante cubitum, & horis matut. cum sequente vehiculo: ℞ ▽ lignor. in cap. de catarrh. descript. ℥iij, splenetic. Schroed. ℥iß, balsam. embryon. ℥ß. M.

§. XLII. Ne vero Sydenhamium, *acutissimum*, ut ab admiratoribus suis vocatur, *practicum*, intactum prætercam, adscribam ex opusculorum ejus, p. 708 & 709. totam curationem fluoris albi, quam jam p. 388 & 389 iisdem fere verbis Diabeti opposuerat. Mittatur sanguis è brachio, ad ℥viij. ℞ pil. coch. maj. ℈ij, castor. gr ij, balf. peruv. gt iij. F. pilulæ 4, cap. hora matutina, super dormiendo, repetanturque per duas alias vices, interponendo diem unum vel alterum, pro ratione virium. ℞ ▽ rutæ, ℥iv, bryon. compos ℥ij, sacchar. cryſtall. q. s. F. Julapium. Cap. cochl. iij vel iv. in omni langvore. Deinde aggrediatur usum sequentium. ℞ Theriac Androm. ℥iß, conserv. flaved. cort. aurant. ℥j, diascord. ℥ß, Zinzib. & nuc mosch. condit. ā ℥iij, pulv. è chel. cancror. ʒiß, cort. exter. granat. rad. angelic Hispan. corall. rubr. ppt. trochiscor. de terr. Lemn. ā ʒj, bol. arm. ℈ij, gum. arab. ʒß. c. s. q. Sir. de ros. sicc. F. Elect. de quo sumat ad magnit. nuc moschatæ, mane, hora quinta, pomerid. & nocte, per mensem integrum, superbibendo sequent. infusionis cochl. vj. ℞ rad. enul. campan. imperat. angelic. calam. arom. ā ℥ß, fol. absinth. Roman. marrub. alb. centaur. min. calamenth. vulgar. salv. siccæ, ā mj. bacc. junip. ℥j, incidantur minutim, & infundantur in vini canarin. ℔iv, stent simul in infusione frigida, colentur tantummodo tempore usus.

Processus Curationis, à D. D. Præside institutus, & verbotenus ex Diario ejus excerptus.

Mens erat in principio per *vomitorium*, passim ab autoribus in simili casu laudatum, præmisso digestivo aliquo, primas vias expurgare: verum cum ægram non magis à præsentissimo mortis periculo, quam vomitorio abhorrere, & præterea nec pilulis uti posse, diceretur; præscrib. die 16 Martii, species laxantes, aperientes & ro-

& roborantes pro nodulo, (non obstante sinistro quorundam de ejusmodi formulis, et per ἐπίκρασιν operantibus remediis, judicio, per Præceptorum meorum exempla, propriamque experientiam obtundendo) una cum Mistura quarundam essentiarum.

℞ Rhab. or. ℥ß, 5 aperient. zedoar. ā ʒj, fol. sennæ, s. st. ℥ß, menth, melisf. rosmar, ā mj, sem. cartham. ʒij, anis, fœnic. costi arab. cinnam. cort. aurant extim. ā ʒj, limat ♂ ℥ß. incis. contus. gr. m. D. in Charta. S. Laxierende species, in einen Säcklein in 3 Nösel guten Wein zuhengen / davon des Morgens umb 7, und nachmittags umb 4 Uhr / ein Weinglaß voll zunehmen.

℞ Ess. succin. ʒiß, lignor. aloës, myrrh. ā ʒj, anis, fœnic. ā ʒß. M. D. S. vermischte Essentz, davon Vormittag umb 10 / und Nachts umb 9 Uhr / 30 Tropffen in Bier zu nehmen.

Cum die 28 Martii Ægra de aucto fluore, & excoriatione genitalium, morsuqve intolerabili materiæ exeuntis conquereretur, alvumque quotidie quater vel quinquies solutam habuisset: ideo nodulo laxanti alius, *alterans magis*, misturæque consumtæ nova, paulo penetrantior, una cum Electuario substituebantur: genitalibus autem per fotum emplastrumque prospiciebatur.

℞ Fol. rosmar. mj, menth. meliss. flor. melilot. alb. galeops. hormin. ā pj, cinnam. flav. cort. aurant. macis, sem. anis. fœn. ā ʒj. incis. contus. gr. m. D. in Charta, S. Species in alten Wein zu hengen / davon täglich nach Belieben ein paar Gläser voll zutrincken.

℞ Ess. succin. bals. Capaib. castor, lignor ā ʒj. ⚖ ✶, ʒß. M. D. S. vermischte Essentz, davon Vormittag umb 10, und Nachmittag umb 5 Uhr / 30 Tropffen in Bier zu nehmen.

℞ Succin. ppt. ʒij, ras. ebor. antihect. Pot. ♃ ♂ l. cachect. Ludov. spec. dianthos, diarrhod. Abb. ā ʒß, cons. rosmar. menth. theriac. ā ʒij. M. & F. c. s. q. sirub. de artemis. elect. D. S. Lattwerge auf 5 oder 6 mahl / alle Morgen zu nehmen / darauf ein paar Löffel voll Qvitten oder Zimmet-Wasser zu trincken / und eine Stunde gelinde zu schwitzen.

℞ Herb. hormin. matricar. flor. millefol. verbasc. rosar. rubr. melilot. malv. ā mj, rad altheæ, ebuli, ā ℥ß. incis. contus. gr. m.

 D. S.

D. S. Kräuter in zweyen Säcklein in Kovent zu kochen/und wechsels-weiß an die Gebuhrt zu legen: mit der Brühe können die verwun-den Oerter offt gewaschen werden.

℞ Empl. de bacc. lauri ℥ß, Galban. elect. tacamahac. ladan. ã ʒij. M. & c. s. q. ℴ︎ myrtin. F. Empl. ext. super alutam. D. S. Mutter-Pflaster/ davon die eine Helffte in das Creutz / die andere in Schooß zu legen.

Die quarto Aprilis magnis encomiis electuarii & fotus utilitates efferebat, & notabiliter ab isto per sudorem corpus allevatum, ab hoc vero atroces genitalium dolores prorsus mitigatos esse. Essentiam autem insignem nauseam & multos ructus excitasse, nec semet castoreum infusumque, cúm vino paratum, amplius ferre posset. Hinc, si omnino herbarum usu porro opus sit, se cerevisiæ potius medicatæ descriptionem petere: talem enim apud suos magno in usu esse, & passim à mulieribus commendari.

Annuebam petito, & cum commendatione repetitionis electuarii essentiæque primæ, sequentia pro cerevisia medicata ordinabam.

℞ Fol. rosmar. menth, meliss. matricar. scolopend. ã mj. absinth. pont. Flor. millefol. melilot. alb. galeops. hormin. ã pij, rasur. lign. sassafras, juniperi, ã ℥ij, caryoph. aromat. ℥ß, incis. contus. gr. m. D. S. Kräuter/ zu einen Eymer jungen Bier.

Die 12 Maji audiebam, menses, die 28 Aprilis erumpentes, sufficienter usqve ad 3 Maji fluxisse. Abstinuerat Matrona, iis præsentibus, à medicamentis; postmodum vero eadem reassumpta juxta præscriptam normam adhibuerat, non sine manifesto successu, & redeuntis sanitatis indiciis. Neque enim fluxus albus ultra modum amplius urgebat, nec lumbi atque pubes, nisi per intevalla magna, dolebant. Unde tantam de mox recuperanda secunda valetudine spem concipiebat, ut solam cerevisiam medicatam sufficere, nec porro naturam medicamentis onerandam esse reputans, vix ad ulteriorem essentiæ & electuarii usum, alternis saltem diebus per unum alterumque mensem adhuc continuandum permoveri posset. Liberabatur igitur vix ante Septembrem omnimode: ex quo tempore concipiebat, sanaque & salva vivebat.

FINIS.

HISTORIA.

COncesserat Matrona nobilis, sangvineo-phlegmatica, XXIX annos nata, ex rure & quietis impatientissima re familiari in urbem, ubi per biennium maximam diei partem sedendo transigebat, lacticiniorum, piscium, ciborumque salsorum amantissima. Postquam per sexennium à concipiendi & pariendi negotio feriata, mense Aprili, Majo atque Junio lunare tributum emanere, nec tamen phænomena, olim sibi, cum quarta vice puellas utero gereret, consveta redire, nihilominus tamen abdomen turgidulum evadere, crura interdiu dolere, circa noctem autem, cum tumore manifesto, solito graviora, simulque anhelitum difficiliorem reddi animadverteret; ex urina à Medicastro corporis sui constitutionem expiscari decernebat: qui, ex hepatis vitio, hydropem instare jurans, purgantibus fortioribus d.24 Julii abortum fœtus masculi, XV hebdomadum, excitabat, in enormem terrorem miseræ puerperæ; quæ mariti absentis, & jamdiu filium desiderantis, summam indignationem metu-

ens, se totam luctui dabat, ut soror ejus ex crebris itineribus, ad amicos & agnatos institutis, mœrori levamen parare cogeretur. Sub finem Augusti stillabant genitalia, post menses paucos, materiam albam & pituitosam, idque quantitate modica, & sine molestia notabili, usq; in Septembrem, ubi ea erumpentibus mensibus cedens, his finitis paulo copiosior ad finem Octobris excernebatur, donec à menstrua purgatione rursus intercepta, hac cessante, reverteretur. Continuabatur istiusmodi alternatio usque ad Februarium, ex quo tempore non mite amplius & album, sed luteum liquamen, cum morsu & genitalium excoriatione effluebat. Urserat insuper hactenus molesta pressio lumbos, pubes obtuse dolebat, totum corpus fiebat segne, facies pallida, oculi tristes, respiratio anhelosa, appetitus vacillabat, post cibum tumebat abdomen, crura plumbea videbantur, & foveam impressam diu retinebant, urina erat alba. Petebatur mense Martio consilium.